



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioan. Petri Maffei, Bergomatis, E Societate Iesv,  
Historiarvm Indicarvm Libri XVI.**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Antverpiae, 1605**

Gasparis Vilelae Ad Societatem Iesv.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11473**

gutio etiam Rex, regniq̄ue p̄ceres, missis per Christianos epistolis, nos ad se inuitarunt. qua de re cū Regem ipsum Bungiamicitiæ causa consulissem, respondit adhuc maturum non esse simulac foret, se monituum: suspicati sumus occultam aliquam coniurationem ipso conscio aduersus Amangutii Regem esse cōflatam: nec sanè temere, nam ex principibus quidam potius Amangutium ex incendio ferme iam instauratum aggressus, diruit, magna ciuium parte vel spoliata, vel in seruitutem abducta, Regis etiam fratre cum omnibus iis, qui partes eius sequebantur, occiso. Ea re cognita, Bungi Rex magnas copias ad Amangutium occupandum misit, quo euentu, adhuc incertum est.

Anno MDLV. octauo Idus Septemb. Rex apud nos sanè quā iucundè cœnauit: à cœna de Deo verba fecimus. ipse per quendam ex amicis iussit nobis renuntiare, velle se certos pecuniæ fructus assignare alendis iis, qui in sua ditioe Dei legem docerent. Respondimus, nobis hoc non esse ita necessarium, sed in perpetuum subsidium hospitalem domum à nobis adificatam esse, quæ huiusmodi ope admodum indigeret, orare nos Regem, vt beneficium illud in eam domum conferret; quod fecit, & simul iussit nobis attribui aream in vrbe imperii sui admodum ampla ac celebri, Facara nomine, ab vrbe regia quinque dierum itinere, vbi iam Balthasar Gagus aliquot fecerat Christianos. Eò nunc Balthasar idem est rediturus, vt ibi diutius commoretur, atque commodius Euangelium prædicet. Christus Dominus noster eas vires nobis easque virtutes impertiat, quæ ad assiduos huius prouinciæ labores atque pericula sunt necessaria. Valete, vj. Idus Septembris, MDLVII.

## GASPARIS VILELÆ AD SOCIETATEM

I E S V.



Anno MDLV, cū in hæc loca Melchior comitesque peruenissemus, nihil ad vos scripsi, propterea quòd redituro mox in Indiam Melchiore, satis fuisse de moribus hisce ac regionibus ex ipso vos cognituros putabam. Nunc ea persequar, quæ post eius discessum præsentem me contigerunt, quo in omnibus immensa Dei bonitas magis eluceat.

Vbi terram hanc attigi, iussus sum Funaii habitare cum Colmo Turriano, partim vt ingrauescentem iam illius aratam, in tantis ac tam multis laboribus aliquo auxilio subleuarem; partim etiam, vt ex eius consuetudine ediscerem, qua ratione horum

Christia.

Christianorum ingenia colenda tractandaque sint. Balthasar autem Gagus, qui ibi erat, Firandum est missus, ubi portus est in primis celebris, & Christiani nonnulli: Regulus præterea urbis eius valde nos diligit, fecitque nobis potestatem areæ coëmendæ, qua in area Virginis Matris ædē sacram excitauimus ad pios. Christianorum vsus cum Iaponiorū incolarum, tum Lusitanorum, qui eò commeant. Gagus ab Regulo humanè exceptus est cum alio fratre nostro, itemque alio Iaponio Christiano in rebus diuinis admodum erudito, quos secum adduxerat. Hos deinde cognouimus in neophytis instituendis magna cum laude versari. post Gagi discessum, aream coëmimus patientiorem, donauitque Rex nobis peramanter quasdam ædes in proximo, quæ statim nobis vsui fuere. ex iis quippe templum extruximus, addidimusque tecta nonnulla nobis ad incolendum necessaria. Opus ad culmen perductum est die Sanctis omnibus sacro, anno MDLVI. Melchior primum in eo sacrum fecit solenne. Inter hæc tempus aduenerat, quo Melchiori in Indiam redeundum erat, quem à nobis dimisimus, nulla spe in hac quidem vita nos reuisendi. Inde Christianæ rei ex instituto dedimus operam, non sine aliqua difficultate propter occultas conspirationes aduersus Regem in vrbe confatas a reliquiis coniatorum, quos mense ante nostrum aduentum capitali supplicio affecerat, ac deinde ad cæteros minori suo cum periculo puniendos in insulam quandam, quæ arcis instar est, sese receperat. Hisce tumultibus & recentes Christiani vehementer, & nos etiam aliquantum perturbabamur animis, quòd ex Regis interitu (si fortè id contigisset) aut mors nobis imminere sine dubio videretur, aut certè multa ac grauia incommoda, quæ magno nobis impedimento forent, quominus rem ex animi sententia gereremus: veruntamen nonnullis à Rege concessis, pax inter eum & ciues composita est, & qualescunque orium consecutum.

Instituti autem nostri in Iaponiis adiuuandis eiusmodi ratio est: Primum, quoniam plurimis tantæ sunt tenebræ, vt animam simul cum corpore interire, nullumq; Dei iudicium de rebus in vita bene vel malè gestis futurum existiment; duos menses quotannis, Nouembrem ac Decembrem, vsque ad octauum diem ante Natales Domini ferias, ponimus in quotidianis, de morte, iudicio, pœnis inferni, deq; cælesti beatitudine cōcionibus; ad quas vniuersi ferè conueniunt Christiani. Die verò mortuorum omnium commemorationi dicato, in eandē rem majori etiam studio ac caremonia incūbimus. Toto autē eo tēpore cenotaphiū habemus

mus atratum: super id, responsum vnum verbis conceptis quoti-  
die pronuntiamus, & sacra rituum illorum mysteria populo expo-  
nimus. Quo quidem anni tēpore tanta vis frigoris est, vt præter al-  
fiduum gelu matutinum, multa etiam è cœlo decedat nix. Sed  
Dominus, pro sua elementia, necessaria nobis remedia suppo-  
rare non desinit.

In festa Natalia, dimisis per finitimas villas nuntiis, Christo-  
norum conuentum indiximus; quorum, a viginti quatuor ac-  
ginta millibus passuum, tanta multitudo confluxit, vt eos templa  
duo coniuncta aedesque nostræ priuatæ non caperent. Media no-  
ctē sacrum solenne ritē peregrimus cum hymnis quibusdam par-  
de laudibus Natalium Domini, & nonnullas è sacris litteris his-  
torias exposuimus, quibus rebus Christiani admodum delecta-  
ti, & in sacrosancta fide firmati sunt. Post eorum dierum celebri-  
tatem, cum æquum esse non videretur, vt intra domesticos par-  
tes inclusi, animas IESV CHRISTI sanguine redemptas in  
sertis regionibus perire pateremur, missus sum cum Ioanne  
nando ad vicum, quem Cutamen appellant, vbi aliquot Chris-  
tiani visuntur, quo & gentilibus viam veritatis ostenderem, & Ch-  
ristianis solatium aliquod atque utilitatem afferrem. Et quoniam  
iter illud pedibus in quo anni tempore sine vlllo comœata face-  
bamus; nec frigoris nec famis incommodum defuit. Peruenimus  
ad montem, vbi nos quidam ethnicus excepit hospitio, & paulu-  
lum oryza dedit in cibum: & quia lucebat adhuc, ab eo petimus  
vt viam nobis ad vicum quendam finitimum monstrare ne gra-  
retur: quò cum peruenissemus, ad vetulam Christianam probi-  
ri uxorem item Christiani diuertimus: cuius nobis in ministran-  
do studium & alacritas, cum veteris illius ac nascentis Ecclesie  
laudibus procul dubio comparanda, omnem præteriti laboris me-  
lestiam ac defatigationem absterxit. Cœnam pro ipsius angustia  
parauimus ex herba iname quam appellant, atque nasturtis, cum  
anus ad nos calefaciendos ignem paucis quas habebat paleis ce-  
citasset. Eadem monita a nobis, vt aliquos ad Euangelium con-  
cicaret, quamquam nox erat, frigusque permagnum, tamen tantam  
in ea re diligentiam adhibuit, vt multos barbaros adduceret, et  
quos cum apud senem quendam de salutis ipsorum ratione verba  
fecissemus, decem ex his permoti diuinitus: Euangelio crediderunt  
quos simul atque opportunum est visum, magna nostra lætitia  
baptizauimus. Accessit ad hos etiam senex annos natus septu-  
aginta, cuius domi sermo de Deo (quem diximus) habitus fuerat. Et  
cum annos circiter octo graui admodum valetudine laboraret, ut  
vt man-

vt membris panē solutis, inter loquendum vehementissimē tremeret, multis in vita homicidiis perpetratis, dæmonis cultor, cuius speciem sese identidem offerentem adorabat vt Deum, biduo post baptismū Dei beneficio sanus ac liber ab omni tremore surrexit, & omnibus inspectaribus diabolicas syngraphas aliaque id genus igne combussit.

Ex eo loco profecti, antequam Cutamen peruenimus, nos in itinere nox oppressit. in magnis tenebris, frigore, gelu, incerti quā iter esset, aut quem percontaremur, Deum precati nos in viā dedimus, & in cuiusdam ethnici hospitium incidimus, qui nos ad Christianum honoratum hominem habitantem in ea solitudine misit, quem antequam inuenimus, iterum errauimus, sed ea ipsa noctis hora nobis obtulit Dominus, qui nos ad optatas illius Christiani edes aliquando perduceret. Is nos simul ac vidit, statim nobis prouolutus ad pedes, nunquam se tanto in honore fuisse dicebat ea nocte in consolandis animandisque Christianis eius domesticis ibi posita, postridie manē profecti, Cutamen venimus, acceptique hilariter sumus a Christianis, qui cognito nostro aduentu obuiam nobis processerant. Hic dierū aliquot moram fecimus, quo & Christianos confirmaremus, & paganos ad Christū adduceremus, quorum decem conuersi, alii miserabili quodam errore liberati sunt: cū enim sese de more dominis sacramento fidelitatis obstringerent, idque ante idolum stantes, sanguinemque mittentes è brachio, descriptis ex eo litteris quibusdam, quæ legi non possent, & ad extremum syngrapha concremata hero se fidem seruaturus esse iurejurando promitterent, omni studio fecimus, & effecimus, vt si ab ea consuetudine protus nollent abstinere, saltē per Deum conditorem cœli terraque iurarent, quod nobis omnes se facturos esse polliciti sunt, potiusque mortem optituros, quam ad pristinam iurandi formulam redituros. Eares Dominis eorum pergrata fuit, ipsorumque fidem nunc multo quam antea pluris æstimant. Circumspectis huius prouinciæ miseris & inopia, Cosmo visum est, è re communi futurum, si in vrbe Funatio valetudinarium instituerent. Itaque consilio cum Rege communicato, per amplam domum extruximus, bifariamque diuisimus, vt altera pars elephanticos (quorum magnus nobis locus est numerus) altera leuioribus morbis agrotantes exciperet. Confluxere ilico elephantiaci complures, quorum curationi præfecimus vnum è fratribus nostris chirurgiæ peritū, qui contemptis, vt Christum pauperem sequeretur, deliciis diuitisque quas possidebat, in Societatem nostram adscriptus est. Et quoniā

c

vrbe

vrbe tota montibusq; finitimis multi præterea inopes ægrotique versantur: constitutus est Iaponius Christianus annos natus quatuor & viginti, spectate virtutis adolescens, qui castitatis voto aliosq; nonnullis Deo sese dicauit, vt is egentibus viduisque diuideret eleemosynas, quas Christiani conijciunt in arcam ob eam ipsam rem publicè positam. Augetur autem quotidie huiusmodi pauperum atque ægrotantium multitudo, in hospitali quam diximus domo, magno cum rei Christiana adjumento, & barbaro pudore, cum videant populares suos ægrotos omnes gratis à nobis curari, necessariis medicamentis adhibitis.

Ineunte Quadragesima, instituti sunt sermones de sacra Confessione, quam Iaponii tanto cum labore lacrymisque peragebant, vt nostrum nobis temporem tacite exprobrare quodammodo viderentur.

Per idem tempus multa ac magna capitis pericula aditimus, cum enim Rex arce se contineret, quæ abest ab vrbe viginti quinque millia passuum, cumque magna latronum vis, sublatis iudiciis, vrbe tota volitaret, quorum animi in eadem nostram à Boziis sollicitabantur; hyeme tota necem in singula momenta expectantes, pauco vino in usum sacrificiorum aliisque rebus nonnullis vt potuimus absconditis, cum vel in cibo capiendo mors nobis ob oculos versaretur, vigilis inter nos distributis, (quod nunc etiam facimus) vitam nostram magno sanè labore incommodoque tutati sumus. Quo tempore iussit Rex nobis renuntiari, se nihil opus in tali re nobis afferre posse: proinde nostræ salutis cõsuleremus, molestum sibi fore, si quid nobis incomodi accidisset. Ac reliqua sanè vrbe ite vigilie agebatur, sed omnis nostra spes atq; fiducia ex Ivnii Domini clementia ac bonitate pendeat. Inter hos metus hyeme exacta, nullo tamè Quadragesimæ die nõ habitus est sermo de rebus Diuinis, aliquot sese quondie diuerberantibus, cum sexta quaque feria noctu de passione Domini verba fierent, flagitque in corpus suum omnes domestici nostri vnà cum Iaponio centum ferme scirent, qui ad audiendum Euangelium ventitabant. Semihora dicendo absolvebatur: inde Christi Crucifixi proponebatur vexillum: postremò extinctis luminibus veniebatur ad verbera, nec antè cadendi modus fiebat, quàm psalmus quinquagesimus ad finem vsque pronuntiatus esset, idque ea pietatis significatione, vt cuiusuis animus ad religionem & lacrymas commoueri posset. Inter hæc rursus Amangutium inuitamur: sed quia in Bungo constabat operæ fructus; & simul, ne Ioannis Firandi auxilio priuaremur, (nam ei proficiscendum fuerat) Amangutianis rescripsimus,

psimus, Paschali bus festis nos eò venturos. Sacrosancta hebdomada, quanta maxima potuit cæremonia religionè que peracta est. Primum Dominico die Palmarum, solenni sacrificio facto, ramisque de more distributis, prodiimus supplicantes, Crucemque præferentes per magnam; emensaque area spatiola è regione ianua, foribus in reditu oclusis, Colimus, qui extra replu cum signo Crucis populo que remanserat, clamare cepit, Attollite portas: cui respondebat è templo chorus, vt assolet. cum tertio denique admissus esset, & ad aram maximam ordo comitantium, non sine summa omnium lætitia, peruenisset; sacrum missæ conuincitum captum est. Passione Domini decantanda, ingens animorum motus, & eorum, qui recitabant, & eorum qui audiebant est factus: tantumque dolorem delictorum atrocissima innocentissimi Domini mortis narratio omnibus attulit, simulque inrimum solatium ita magnum, vt satis appateret, omnia hæc a Spiritu Sancto proficisci. atque ita sacrum peractum, & ritus illi sanctissimi quid sibi vellent, populo expositum est. ad hæc templi parietes pullo peristromate conuestiti, & sepulcrum excitatum est ad sacratissimum Christi corpus condendum, ac persolueda iusta solennia, adiuuantibus quinque Lusitanis, qui in hac vrbe hyemauerant, seque ad nos Confessionis causa receperant. Quarta feria tenebras quas appellant, alternantibus choris canticum Zachariæ, cù symphonia; deinde psalmus idem quinquagesimus magno cum sensu lacrymisque Christianorum, gentiliùm verò admiratione & approbatione conclusit. Postridie, ad sacram Eucharistiam admissi Lusitani & Iaponii aliquot, qui quidem ad tantum mysterium idonei videbantur; & quia tum primum cæleste illud conuincitum inibant, summa animi dulcedine ac voluptate perfusi sunt. His ritè peractis, corpus Christi condidimus, templum circumueentes accensis luminibus. In sepulchri præsidio Lusitani duo, cum totidem pueris, armati maculis ferreis galeisque, sunt collocati: quæ res cùm tempus illud referrent, quo Christus liberator noster in terris versatus est; Christianos mirum in modum commouebat, magnoque malè actæ vitæ dolore afficiebat vniuersos. Sexta ferie exsequias major populi frequentia celebravit. decantata passione Domini, & corpore Christi recluso non sine motu & comploratione omnium, mirabilis erat sacris peractis dolor ac mœlertia Christianorum domum redeuntium. iidem Sabbato sancto sacris adfuerunt. Ara in medio templo exstructa, sacello etiam maximo aulæis pictaque tabella exornato, in qua Christi resurgētis effugies cernebatur, multis præterea cædelis arden-

lis ardentibus, pullum prætendebatur siparium. id, simulacrum  
chorus Kyrie eleison nomines cecinit, subito demissum, aram  
sam & Cosmum stantem aperuit, qui è choro clam se subduxerat,  
seque ornatum sacris induerat. Vbi verò Angelicus hymnus  
intonuit, confestim æra campana vi summa pulsantur. quæ  
tanta ac tam repentina lætitiâ Christianos affecit, vt mente præ  
emoti viderentur, siue id ex præterito mœrore, siue ex rei ma  
quam ante id tempus visâ nouitate contingeret. sanè ii nobis  
cebant se iam nunc in hac vitâ fructum cœlestis beatitudinis pro  
gustare. Atque his rebus in Christiana fide non mediocriter con  
firmati sunt. Paschali die, quæ cōsequuta est, corpus Domini co  
cumtulimus sub umbella, cereis & candelis accensis. Symphonice  
ceterique ministri fertis amœnissimis redimiti iucunde pla  
lebant. Nec tempestiuus tormentorum aliquot fragor, nec ma  
gna populi vis celebrari defuit. itaque concursus multitudinis  
nullum eo die locum sacro sermone reliquit.

Dum hæc geruntur, affertur Amangutio nuntius, dicitur  
quendam nomine Moridonum copis adductis, Regeque Amangutii  
& principibus interfectis, urbem totâ flamma ferroque  
stasse. Ac nobis utique, si eò venissemus, fuerat moriendum: sed  
delicet nos Dominus dignatus hoc honore non est; quem habet  
iis tantummodo, quos præcipue diligit. urbis excidium ingentis  
mes excepit, quæ cum è barbaris multos, tum è Christianis non  
nullos absumpsit; vniuersum verò ciuitatis statum ac sobolem  
multos annos omnino perturbauit ac perdidit. Atq; hi sanè be  
lorum tumultus, quod adhuc experti sumus, Christianæ fidei pro  
pagationem magnopere distinent: sed nihilo minus eo ipso tem  
pore in Bungi regno multi Christiani fieri capti sunt, præsertim  
ex inopi plebe. nam diuites ferè mundo seruiunt, & obrectato  
rum voculas pertimescunt. Firando etiam à Balthasare Gago li  
teras accepimus, in parua quadâ insula, triginta vel quadraginta  
homines Baptismum petere, Christianos eius regionis in IESU  
Christi cultu proficere, phanumque exstruxisse, quamquam pro  
multitudine populi exiguum. Quod verò ad nos ipsos attinet, nu  
quã occasiones desunt, quibus probemur & exerceamur. Etenim  
Bonzii fictis criminibus falsisque testibus nos apud populum in  
inuidiam conantur adducere, quod scilicet humana carne vesci  
mur: atque ad faciendâ mendacis fide, vestes manantes sanguine  
in adiû nostrarum fores occultè cõjiciunt. idque non semel hoc  
anno fecerunt, qui est à Virginis partu MDLVII. quocirca toto pe  
nè Iapone percrebuit, nos damonas esse, nec verbis nostris habenda  
dam



dam fidem, quod etiam scriptis in ianua nostra propositis palam edicunt. A pueris etiam interdum lapidibus perimur. Cōplures præterea nos scedē contumeliosē compellant, tametsi contra honesti viri permulti reuerentur, & colunt.

Huiusmodi periculis (vt dicebam) tentamur à Domino, & præclare docemur, quā parū sine illius ope valeamus ipsi. Idem tamen hæc Iaponiorum peccata dissimulans, clementiæ suæ non obliuiscitur, ad alliciendos ad se animos nonnulla supra naturam interdum efficiens. Quendam multis iam annis parē paralyticum Baptismo lustratum intra paucos dies sanitate donauit. Mulierem assiduo singultu, etiam dum loqueretur & cibum caperet, iam diu laborantem, per Baptismum eo vitio liberauit. Aliam energumenam, vt primū Christiana facta est, dæmon reliquit. E montanis quidam cum febris confictaretur, ad templum nostrū descendit, certus inde non antē discedere, quam sanitatem reciperet, postmodūq; conualuit. Tam in ipso valetudinario, quod diximus, vulnera veteresque decē atque etiā viginti annorum abscessus quatuordecimo interdum die sanantur. Atq; hæc omnia necessaria sanē sunt ad huius gentis tenebras dispellēdas, detegendosque diaboli dolos atque præstigias. simulat quis ex composito se mortuū esse, hunc venefici extractum è sepulchro se ad vitam reuocasse mentiuntur. Interdum etiā adiuuante dæmone ægrotos aliquos curāt. Quidam cum multos iam dies nusquam appareret, veneficorum opera repente comparuit. Defunctus cū efferretur nescio quis, vbi ad feretrum detegendum sepeliendi causa ventum est, nullū cadaueris ne iudiciū quidē inueniunt. Hisce aliisque id genus artibus miseros Iaponios diabolus decipit: quorum ad cetera scelera, quæ multa sunt, illa etiam accedit immanitas, vt filios infantes crudeliter enecēt, vel quod vnum aut alterū sobolis causa satis esse, vel quod in rei familiaris angustiis eorum felicitati hoc pacto se cōsulere arbitrentur. Persuasum habent etiam alicubi: quæ mulieres ventrem ferant, eæ feminā si pepererint, ad inferna damnari: quare permotæ foetum in utero medicamentis interimunt. Iā verò ventantur Iaponii de vitæ exitu cogitare, ne videlicet mortis metu à flagitiis deterreantur, quocirca mortē repentinam exoptant, beatumque putant cui ita obire contigerit. Sunt etiam qui dæmonē colant, eoque familiarissimē vtantur, quos Iamambuxas hoc est milites conuallium appellant, ii ad famam sanctimoniæ colligendam, sese grauitè puniunt, stant, vigilant, cibo parcissimo vtuntur; altero denique vel tertio mense, vbi satisfactum esse diabolus pronuntiauerit; nonnullis amentia sociis vnā secum adhibitis emendica-

mendicata a popularibus stipe, mare petunt, nauiculamque conscendunt, cuius sentinam ita perforant, vt accepta paulatim aqua mergatur. Ad hæc, diabolus magnopere satagit, quo brutorum animantium specie vulgo adoretur, atque vt boues colant, honorem occupat; percontantibus nomen, respondet se regem esse bouum, rogatus vt abeat, negat se ex homine discessurum, nisi templum sibi edificaturos esse recipiant. Si pollicentur, abscedit. si promissa non fecerint, rursus reuertitur, oppressumque hominem variis cruciatibus torquet, quousque phanum ædificent, in quo varias bouularum figuras pro numine venerantur, capitali etiam alicubi proposita pœna, si quis bouem occiderit. Interdum etiam venatorem si quam feram interemerint, suis veneficiis in morbum inducunt. Itaque eius rei metu feræ pro dæmone suppliciter colunt. Quæ omnia facit ille nimirum ob eam causam, vt mortales vero Deo in deserto mutent gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis, hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Japoniorum doctrina seu superstitio multiplex est; alii nescio quem iam mortuum colunt nomine Amidam, alii quendam, quem Xacam nominant; est etiam hæresis eorum, qui suam patriam Fotoqui vocitantur, in opinionum suarum prauitate adeo pertinaces, vt aures Evangelio prorsus ocludant, negant enim fidem habendam nisi scriptis iis, quæ apud se habent; & miraculo est, si quis eorum Christiana sacra suscipiat. Denique Luna etiam ac Luna deorum honores habentur, nec non ipsi dæmones, cui templa etigunt, atque in ipsis templis effigiem eius multo quàm nos fœdiorem ac deformiorem depingunt. Multi sunt etiam cultus cœnobarum vtriusque sexus, albo vestium colore, rufo, nigroque distincti, vita moribusque turpissimi.

Societatis nostræ in his partibus tria domicilia sunt. Amanum vnum, vbi multi erant Christiani: verum ædes eorum vnâ cum vrbe incensæ, & solum a barbaris templo Idolorum postea dicatum cœnobarum, tamen nunc audimus nonnullos qui superfuissent Christianos, id ipsum iudicio repetiisse, eiusque possessionem nostro nomine recepisse. Alterum est domicilium Firandi. Tertium, idemque cœnobarum maximum est hoc Bungense, quod in primis stabile Deo propitio futurum videtur, tum propter Regis, (quamuis nondum Christiani) eximiam erga nos benevolentiam, & aliis rebus & consilio dando probatam nobis & cognitam; tum etiam propter existimationem à nobis apud præfectos regios magistratûsq; collectam. Accedit quod Rex Evangelii promulgationem in suo regno sibi gratam esse demonstrat. Ad quem si Rex Lusitanie Ioban

nes patronus ac parens Societatis nostræ legatum quempiã mitteret, multum ea res (vt arbitror) ad eius conuersionẽ valeret. Vos etiam atque etiam Dominum obsecrate carissimi fratres, vt Regẽ hunc excitet: nam vtrique ex eius conuersione huius regni totius insularumque conuersio pendet; quippe cùm sit Iaponis Regum hodie in primis potens.

Septembri mense Firandum, eùm ibi Balthasar Gagus esset, duæ Lusitanorum naues appulsa: Itaque a Cosmo ad eius subsidium in Confessionibus audiendis, aliisque laboribus, quos noua prouincia secum affert, pò sum missus. Meo aduentu Gagus, & Lusitani, & ipse regulus oppidi valde gauisi sunt. Et quoniam Christianorum veterum vita morèsque apud hos populos in vtranque partem plurimum ad exemplum valent; primùm omnium suadere Lusitanis institimus, diligenter cauerent, ne quẽ neophytorum exemplo suo offenderent. Multos Confessione purgatos sacra Eucharistia refecimus. omnibus verò dominicis festisque diebus ad Lusitanos à nobis, ad prouinciales à Iaponio Christiano comite nostro magnæ virtutis homine, & salute suorum cupidissimo, conciones habebantur: semel etiam cum symphonia sacrificauimus, & solenni supplicatione: præibant sclopetarii quadraginta cum displotione festiua, horribiæ sequebantur: deinde Lusitani duo cum funalibus, & crucifer vnus dalmatica indutus, tum è fratribus duo Litaniis concinebant: postremum locum tenebat ornatu corporis pretioso Balthasar Gagus sacerdos. Vbi in conspectum nauium ventum est, in quibus erant vexilla sublata variis Crucibus coloribusque fulgentia, prætereuntes nos maioribus tormentis honoris causa consalutarunt. Frequẽs tum ibi fortè mercatus erat, quo ex omnibus ferè partibus negotiatores conueperant. Itaque spectaculum magna Christianorum lætitia, magno barbarorum conuentu atque approbatione celebratum est. Cùm ad Crucem peruenissemus, quam non longè ab ædibus nostris locauimus; habita de laudibus Crucis oratione, ad tempus eodem ordine rediimus. Faxit Dominus vt per hos sanctos ritus qui cernuntur, Creatorem suum agnoscat homines, qui corporis oculis cerni non potest. Interim nuntiatur lætus rerum Bungenium progressus, simulque Pauli obitus natione Iaponi, quem agrum Funaii reliqueram, virum magnis virtutibus præditum. Hunc ferunt, agentem animam, inter mortuis vocibus nihil tamen æquè clarè pronuntiasse ac Iesus, Maria: cuius mortem homines pariter vitamque admirati sunt. Is triennium iam in vinea Domini laborauerat, fidelis operarius comesque noster magno animi ardore, spiritu curaque

salutis humanae. Itaque multum eius morte damni fecimus; regem enim in tanta hominum nequitia similem Paulo reperias. Balthasar Gagus Colmi iussu ex eo loco Facatā profectus est, ut possessionem adiret area, quam Rex nobis ad aedes aedificandas attribuit. Inde Bungi Regem inuiset, ut is totam rem auctoritate sua confirmet. Speramus autem id valde è re publica futurum. est enim ea vni ceteris aliquanto pacatior, quod mercatores opulenti, qui ibi commorantur, diuitiis metuentes suis, imminetis belli pericula largi muneribus & cōgiariis redimunt. Hic locus quartum iam quintive annum abūdat annona. expectamus vicissim vaccas Pharaonis strigosas, quas utinam Deus arceat. effodit enim peccus, infantum multitudo à parentibus tali tempore pereuntium: quibus si nec in ipsa vilitate non parcunt, quid in caritate putandum est? Magna enim, (michi credite) fratres carissimi, sterilitatis incommoda & difficultates in his regionibus sunt, prorsus ut ipsi diuites bellum tolerant, vitam. Idcirco nos Iosephi prudentiam imitati, in annum insequentem aliquid semper custodientes, Christianorum inopia ac necessitati consulimus: tamen si inter Iosephi horrea nostrorum permultum interest, quippe apud nos non nisi nasturtiorum lactucaque sole tostae adseruantur. Res frumentaria in his locis perexigua: nam triticum, vbi maturum est, imbrium vi tempestatumque deperditur. Oryzam ferè demerunt, eamque non ita multam, ut vniuersae vrbi sufficiat: nec ea pauperes, nisi si quādo gratulationis causa vescuntur; quos tamen omnes Domini benignitas alit & sustinet.

Scriptis his litteris, cognatus quidam Reguli Firandensis armis Regi Bungessum illatis acie victus est: quem quoniam Firandensis Reguli ope adiutum Rex Bungi cognouit, vastitatem eius regni inferre constituit. propterea Funaius scripsit ad me Cosmus rumorem esse, Bungensem exercitum infestis signis in haec loca venturum: proinde si opus esset, rebus nostris mature prospicerem. In hoc denique intellexi quid esset, cur antea me Rex Bungi ut Octobri mense hinc discederem, per litteras monuisset. Huius bellum tu perterriti afflicti que Christiani quidam ad me noctu venerunt, professi que sunt, si ego Firandi remanerem, se ad oppetendam mecum vna mortem in templum nostrum esse venturos: sin minus, intra priuatos parietes vitæ finem expectaturos: quos ego salutaribus praeceptis instructos, iis verbis quae tempori ac rei conuenire videbantur, bono esse animo iussi. Huius insulae Firandi circiter nouem passuum millia colligit, & aliquot habet vicos, quorum maximus est hic vbi sum in praesentia familiarum omnino ducenta-

rum. In reliquis sunt Christiani nonnulli, quos, nisi bellum impe-  
diat, singulis hebdomadis inuisere statui.

Hæc habui, mihi carissimi fratres, quæ de hoc anno MDLVII. scriberem. vos oro per IESVM Christum, vt precibus vestris mihi veræ summisionis, perfectæque obedientiæ virtutem ab eo impetretis, qui mea causa ad ignominiosam vsque Crucis mortem esse obediens voluit. Ex insula Firando, quarto decimo Calend. No- uemb. MDLVII.

MELCHIORIS NONNII AD SOCIETATEM  
IESV IN LVSITANIAM.



Næo post Christum natum MDLV. ad vos de-  
diliteras ex ora Sinarum, vbi hyemare coactus  
fueram, cum Iaponem tenere non potuissem. Mul-  
ta in eo itinere & magna vitæ pericula adiimus,  
cum aut in vada incideremus, aut naues inter se  
concurrerent. In eo autem portu Sinarum ad  
mensẽ Iunium vsque substiteramus, quod anni tempus Iaponi-  
ca navigationi vulgò putatur idoneum. Sed cum repenti de-  
cretum esset, insequentem quoque hyemem ibi traducere, continuo Lusit-  
anos qui simul aderant circiter trecentos institimus consuetis  
officiis adjuuare. Casa itaque & templo è paleis raptim exstructo,  
quotidie Christiana doctrina tradebatur: omnibus verò domini-  
cis festisque diebus sacrum missæ & verba de rebus diuinis non si-  
ne magno fructu fiebant. Quo quidem tempore dici non potest,  
fratres carissimi, quantum voluptatis animo ceperim, cum viderẽ  
in Sinarum regione, inter tot seculorum idololatrias, diuina sacrificia  
peragi, & Euangelium promulgari: & præsertim hebdomadæ sa-  
crofanctæ Paschatisque solennia, multis eorum qui aderant la-  
cymis lætitiæque celebrari. Illud etiam percommode factum est,  
vt Lusitani aliquot redimerentur, ab incolis iamdiu in vinculis  
habiti, & capite sine culpa damnati. Tenebantur autem ad eò te-  
tra immanique custodia, vt nisi hisce oculis ego ipse vidissem, nũ-  
quam fieri posse putassem, vt quisquam eo vitæ genere spiritum  
duceret.

Quadragesima exacta, Cantonem Sinarum urbem (quæ Olisi-  
poni magnitudine parè par est) tristes nuntii perferuntur, quibus  
omnes valde perterriti sumus: in Sancii prouincia tantam repen-  
tè aquæ vim scaturigine crebra è terra visceribus erupisse, vt om-  
nem circa regionem ad passuum centum octoginta millia inun-

dauerit,